




Nuptiis secundis,
quas
Excellentißimus Consultißimusq́;
Vir,

DN. IOHANNES CHRISTOPHORVS SCHVVALENBERGIUS, J. U. D.

& Jllustrissimi Principis ac Domini.
DN.
BOGISLAI XIV. Pomeraniæ Ducis clementissimi, Consiliarius
festivissimus celebratum it
Cum
Lectißimâ, Omniumq; virtutum Virginearum honestamentô condecoratißimâ Virgine

MARGARETHA,

Præcellentißimi, Consultißimiq; Viri,
DN. THEODORI APOLLONII
J.U.D. ac prædicti Illustr: Principis itidem Consiliarii; jllustris Consistorii Adsessoris; Iudicii inferioris Præsidis; Ecclesiæ Cathedralis Marianæ Capitularis, ac jllustris Pædagogij Inspectoris dignissimi, Filiâ, Sponsâ ejus dilectissimâ
Fausta gratulabundi precantur
AMICI

(STETINI,)
(*Typis GEORGII GOTSCHII, Anno 1625.*)





SCHVVALENBERGIADE, virtus quem cla-
(rat avita,
Utilis eloquiô consilijsq; Duci;
Conveniunt Festo, Tibi quod Spon-
(sæq; paratur,
Gaudia cum lusu, cum salibusq; joci.
Ast locus his ubinam reliquus, communibus eheu
Undiq; cuncta malis dum loca pressa gemunt?
Quæcunq; audimus, scribi quæcunq; videmus,
Sunt mera de misero fusa querela statu.
Extera vis Martis nobis quæ dira minatur?
Quantus egenorum plangor & esuries?
Structuris quot damna, neces pecudumq; homi-
(numq;
Quot flamma heu, tum quot turbo, quot unda
(dedit?
Quos pestis metit? ast levis hæc foret. Altera quin
(hac
Sub Ditione Solum pessima pestis habet.
O verè pestis Patriæ: tibi morte perempti
Quòd PATRES PATRIÆ, Patria terra, cadunt.

Hinc hinc materies fletûs. Simul, ut mala pœnæ
(Quisquis fles) culpæ ſic mala fleto tuæ.
Nec tamen in ſolo fas eſt perſiſtere fletu;
Jungere ferventi pectore vota decet:
Ut mala ſuſpendat DEUS impendentia; ſed quæ
Graſſantur, ſolitâ pro bonitate fuget.
Hæc inter pia vota, ſalus quæ publica poſcit,
Cauſâ SPONSE tuâ jam quoq; vota fero.
Nempe ſecunda fero. Tua vota ſecunda ſecundet,
Nec ſinat, ut ſubeas tertia vota, DEUS.

Obſerv. & congratul. cauſa f.
M. HEINRICUS KIELMANNUS,
Ducal. Pædagogij ConR.

ALIUD.


Uàm bene conveniunt Sponſus *cum Virgine* (Sponſâ
Quos modò connubiô copulat arctus Amor!
Eſt à conſilijs & Sponſus *Principis; eſt &*
Sponſæ *à conſilijs Principis ipſe* Parens.
Hìc habet effectum veteris prænobile Dictum
Philoſophi; ſi vis nubere, nube pari.

Hæc

Hæc etiam Paritas *parilem ſuccendat Amorem*
In vobis, vobis progeneretquè Pares.

Gratulabundus meritò f.
M. MARTINUS BAMBAMIUS
P. L. Cæſ & Sch: Sed; ConR.

ALIUD.

OMnipotens, juſtus, ſanctus, qui fallere neſcit,
Humani ut generis triſtia fata gemit,
Egregiè, affectus & deteſtatur iniquos,
Evincit, thalami dum pia vota jubet.
Hic copulat nuptam, Doctor præclare, ſecundam
Pro bonitate ſuâ dextero amore tibi:
Et veſtram dulci, quia dixit, pane replebit,
Quem docuit Chriſtus poſcere, ſponte domum.

IOHANNES PRÆTORIUS
Sedino-Pomer: P.L.C. & SS. Th: St:

ALIUD.

ERgo nec indulget Legum veneranda poteſtas,
Furtivo modulari inter convivia cantu,
Et pietas decorare torum, tua gaudia, læto,
Flos veterum virtusq́, virûm, vetat inclyta plauſu?

Poſtquam mœſta tremit crebris labefacta ruinis
Patria, defuncti luget dum fata Parentis.
Ergò læta dies atro fœdata colore
Ibit, & in thalamos intrabunt publica damna?
Sic decet: aſt ſacri non ſunt prohibenda Hymenæi
Fœdera lætitijs modus eſt, & triſtibus ipſis.
Ad tempus ceſſabit Hymen, dum deſinat atrox
Luctus, & ad noſtros redeat lux fauſta Penates.
Nec modò compoſito licitum eſt pede plaudere claras
Ad numerum choreas, nexisq; ex ordine palmis
Æquales ſaltare choros cratere remoto.
Ergò quid reſtat? Veneris juſtiſsima cura
Effare: ô juvenes ſimul, innuptæq; puellæ;
Num libet inſomnem ludô traducere noctem
Ludere par impar, Piſceſvè exponere captos?
An regni effigies, ſimulataq; ludicra veris
Regna juvant, chartævè placent, fallaxq; fritillus?
An potius licito tandem ſermone fruiſci
Delectat, dominæq; lubet circumdare collo
Brachia, & implicitis volupe eſt ſubſidere membris?
Hoc Neonymphe tuum eſt. Blandis tu colla lacertis
Complexus ſponſæ, delibans oſcula, junge
Usq; latus lateri atq; pedem pede fervidus urge.
Nos velut ignavum pecus â præſepibus arcet
Imo in corde pudor mentem Venus ipſa negavit.
Sed benè habet: caſtis ſacrata hæc tempora nuptis
Caſta mente licet celebrare pudoreq; ſalvo.

Interea

Interea tristem solvet mentem ipse Lyæus:
Et cum jucundæ fuerint sermone modesto
Sex vel septem horæ transactæ, suaviter omnes
Somne tuam placidi carpemus sponte quietem.

Honoris E. F.
JOHAN-JACOB TREDER.

ALIUD.

Sidera dum lustro, & passim dum cuncta revolvo,
Sentio quam mirè Rectore à Numine fiant.
Miro namq; modo id splendentia temperat astra,
Atq; modo simili, quæ sunt vel sponte gubernat.
Stellatum vestit jam cœlum nubibus atris,
Iam retegit cœlum, discussâ nube, serenum:
Sic tibi proposuit lachrymis quæ pocla referta,
Iam Deus ambrosio fert pocla liquore referta.
Nam tibi post atros oritur lux clarior imbres,
Gaudia jam redeunt, mœroris spicula cedunt.
Abstulit ipse Deus charam de pectore costam,
Reddit hic & costam similem virtute priori.
Abijce jam pullas, Doctor Clarissime, vestes,
Ac lætare bonis his quæ dedit ipse Jehova.
Gratulor hanc meritò tibi, Fautor maxime, Nympham,
Gratulor & tantùm meritò tibi, Sponsa, maritum.
Vos nebulæ fugiant, videat vos semper Apollo,
Gratuler utq; brevi faciat, qui cuncta gubernat,
De sobole, amplificet fortunas quas dedit, opto.

Congratulationis causa f.
GEORGIUS KIRSTENIUS Ald. Misn: SS. Th. St.



Ltùm cur plausus tollunt Helicona potentes?
Cur Phœbi arte canūt carmina culta lyræ?
Ornatus tantus sibi quid? lætusq́ triumphus
Quid vult? quidq́ sibi gaudia tanta volūt?
Quidq́ hominum splendens juvenumq́ se-
(numq́ caterva
Vult sibi, quæ complet limina nota domus?
Forsan nunc celebrant Thalami felicis honores!
Et thalamô coëunt corpora bina novô.
Cum sponsa, sponsus vir consultißimus ille
Sualenberch *est, qui gaudia tanta facit.*
Doctorum qui non est ultima fama virorum,
Cuiq́ suas artes Docta Minerva dedit.
Ergo rectè omnes edunt nova gaudia plausu
Læto, ornant, complent, gaudia tanta ferunt.
Et meritò tu nunc Doctißime sponse triumphas,
Intrat quod thalamum tam pia Nympha tuum.
Virgo lumina habens nitido certantia Phœbo,
Et laudem castæ virginitatis habens:
Quæ semper soli sua dat tibi Brachia circùm:
Collo hujus & tua brachia nexa sient.
Hæc pulcrâ posthac faciat te prole parentem,
Te dulci foveat semper amore suo.
Turturis eveniat vobis concordia casti,
Vivatis Pylij tempora longa senis.

CAROLUS Vom Hagen Gustor:
Megapol:





